



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Tractatus II. Disputatio VI. De Spe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

fit non positio actus fidei, inculpabilis. Positiva autem infidelitas est, positio actus dissentienti circa objectum revelatum debite propositum. Quando autem hæc infidelitas incurritur, & an dubitans infide sit infidelis spectat ad materias practicas.

Dividendo autem infidelitatem, quasi in species ea triplex est. Ethnicismus, Judaismus, Hæresis; quæ divisio non desumitur ex diversitate errorum, in particulari fidei repugnantium; hæc enim est infinita, cum non sint tot errores, quin possint esse plures: sed desumitur ex diversis modis oppositionis ad fidem. Ratio hujus divisionis assignari solet: quia vel sint, qui auctorem salutis & fidei recognoscunt Christum, ita tamen, ut fidem ejus non integrè retineant, & sic fiunt Hæretici; vel qui Auctorem salutis non agnoscunt Christum, admittunt tamen figuras illius, & sic sunt Judæi; vel qui nec Auctorem salutis Christum admittunt, nec recipiunt figuras, & sic sunt Ethnici. Procedit autem hæc divi-

sio non nisi post lucem Evangelii unde & qui admitteret Testamentum novum, non vetus, ejus error revocaretur ad hæresim: quia novum testamentum probat vetus. Hujus ipsius divisionis hæc Ratio reddi potest: quia vel nulla admittitur revelatio vera & universalis, & sic committitur Paganismus, vel admittendo non nisi aliquas, & si sit cum admissione revelationum etiam novæ legis, sed non nisi aliquarum, erit hæresis, si sine admissione revelationis novæ legis, erit Judaismus. Apostasia autem non est specialis infidelitas, sed sola circumstantia, nam Apostata necessariò habebit aliquam ex iis infidelitatem.

Quomodo infidelitas expellat habitum fidei, decidi debet ex principiis de habitibus. Indubiè infidelitas demeritoriè expellit habitum fidei. Ratio, quia aliquid demeritoriè expellit fidem, nihil autem commodius, quàm id, quod ei opponitur; sed expellit etiam ex natura rei: quia etiam error habitum scientiæ expellit ex natura rei.



TRACTATUS II.

ET

DISPUTATIO VI.

De Spe.

Substantialia harum materialium, quæ ordinariè in hac materia in disputationem veniunt, expedientur.

S. I.

Quodnam Objectum Materiale Spei.

ASSERO I. Si sumatur spes, prout est spes, seu habitus versandi circa speranda à Deo, objectum illius materiale, est bonum nobis.

RATIO. Tum quia non solum bonum increatum, sed etiam creata à Deo sperari possunt, & ratione spei formali informari, Ergo non debet alterutrum non nisi dici objectum spei, Ergo debet dici bonum nobis: hoc enim solum, continet uno nomine, bona reliqua. Tum quia, potuisset Deus facere decretum, de se non communicando creaturæ per visionem, possetque adhuc tunc manere eadem ratio formalis sperandi, Ergo apparet Objectum spei, non esse necessariò aliquid increatum. Tum quia spei natu-

ralis objectum materiale non est solus Deus, Ergo nec spei supernaturalis?

ASSERO II. Si sumatur spes pro habitu præceptivo bonitatis æternæ, in hoc sensu objectum illius materiale, est solus Deus.

RATIO. Tum quia hoc probant communes rationes. Tum quia, si sic sumpta spes, non haberet pro objecto Deum, & idem speraret, quod obtineretur visione, id enim venit nomine habitus præceptivi, & non idem speraret; siquidem pro objecto illum ipsum solum Deum non haberet. Tum quia, spes præceptiva 10. aureorum, habet pro objecto 10. aureos, Ergo & spes Beatitudinis æternæ, prout est habitus præceptivus habet pro objecto Deum, qui est Beatitudo æterna.

ASSERO III. Spei, prout est habitus præceptivus, objectum materiale, quod vocant attributionis,

(r) 3

tionis, non potest esse beatitudo formalis, vel possessio creata Dei.

RATIO I. est. Tum quia, nomine talis objecti venit id, quod est non revocabile in eodem genere ad aliud: beatitudo autem formalis est revocabilis, nempe tanquam ratio attingendi terminum attractum, hoc est, beatitudinem objectivam. Tum quia, quotiescunque aliquis habitus respicit bonum, unum quidem, quod est tale simpliciter, alterum, quod est bonum non nisi propter aliud, toties habitus ille, per prius respicit bonum tale simpliciter, & ita per prius respicitur finis, quam media, mediaque attribuntur ad finem, sed habitus spei est ordinatus, & Deus in se est bonum simpliciter, beatitudo autem bonum propter aliud, Ergo ad DEUM primò per se attendit spes. Tum quia, Beatitudo formalis in ratione formalis boni, est bona propter DEUM. Ergo si nihil obsit, sic sumpta, poterit habere etiam pro materiali DEUM.

RATIO II. Si spes, prout est habitus proceptivus beatitudinis aeternae, haberet pro objecto beatitudinem formalem, & haberet idem objectum cum fruitione, & non haberet, haberet quidem: quia aliàs non hoc praeceperet, sed aliud; non haberet autem, quia fruitionis objectum est ipsemet Deus, beatitudo autem formalis, est non nisi ratio, ut quo fruendi.

RATIO III. Quia Beatitudo formalis, est actus noster vitalis, nosque sumus principium illius, & tamen non est in nobis principium, quod nos beatificat, quod beatificativum, est ipsum objectum spei, prout est habitus praeceptivus.

Ad solvendas objectiones.

NOTO I. Quamvis pertineat ad amorem concupiscentiae, & quamvis amore concupiscentiae amemus bona nobis, non tamen est necesse amare propter nos, tanquam rationem propter quam motivam, licet possimus amare propter nos, tanquam propter finem Cui; quomodo etiam Deum amare propter nos nobis possumus.

NOTO II. Ut salvetur Deum esse objectum spei, prout illa est habitus praeceptivus beatitudinis aeternae, accipiendus est DEUS, non quomodocunque, sed prout possessibilis, & sic spei objectum, erit aliquid futurum, non quidem in entitate, sed in formalitate possidendi; ita tamen, ut formalitas possessionis, non sit ratio formalis, sed sola non nisi conditio & connatum, perinde ac revelatio passiva, respectu objecti fidei. *Ex quo ulterius*

COLLIGITUR etiam desperationis idem esse objectum: nam etiam illa, prout opponitur spei praeceptivae, desperat de Deo prout possidendo, quamvis desperatio, prout opponitur simpliciter spei, possit esse etiam de creatis.

NOTO III. Idem objectum sub diversis rationibus spectare ad diversos habitus, & sic dele-

ctatio de Deo, ut est in se, spectabit ad amorem Dei, delectatio de Deo, ut est possidendus spectat ad spem, cui etiam in Patria succedit delectatio seu fruitio.

S. II.

Quodnam sit formale Objectum Spei?

DE objecto formali spei etiam graves Auctores dissentiunt. Nam omnipotentiam Dei ponit S. Thomas, cum sequitur Ban. Valq. & alii: sed beatitudinem objectivam, quatenus bonum nostrum est, posuit Scol. Suar. Kon. de spe d. 9. dub. 4. Amicus autem d. 29. ex duobus conflatur objectum formale spei, ex supernaturali Beatitudine, ut forma objectiva, quatenus illa est perfectiva nostri appetitus, eamque rationem dicit esse principalem, & ex auxilio Dei, quod dicit, non esse puram conditionem objecti spei, sed esse rationem formalem, minus principalem.

ASSERO I. Beatitudinem ut formam objectivam, perfectivam nostri appetitus, non esse formale objectum spei.

RATIO. Tum quia, nomine istius formalis, debet venire ratio, ob quam speramus, & esse quasi ultimum resolutivum sperandi, sicut in scientiis, quod habet rationem resolutivi, habet rationem formalem. Sed beatitudo praedicta, non est talis: quia de illa ipsa quaeri potest, cur illam speremus a Deo? Tum quia, formale motivum spei, debet esse tale, quod afficiat omnem rationem materiale spei, sed Beatitudo non est talis: quia possumus sperare victoriam Turcarum, quod materiale, nullo modo afficitur praedicto formali. Tum quia, spes naturalis non habet pro objecto formali beatitudinem naturalem, Ergo & spes supernaturalis. Et certe sperat Petrus a Paulo 10. aureos, pro formali non habet 10. aureos. Ergo nec spes, quae spero a Deo beatitudinem, habet illam pro formali. *Ad solvendas objectiones.*

NOTO I. Principale objectum formale virtutis est, quod principaliter allicit, tanquam ratio motiva, sed non utrunque, sed tanquam ratio motiva, ipsa, in eodem genere, propter aliud non appetibilis. Jam autem appetitur Beatitudo formalis, propter beatitudinem objectivam.

NOTO II. Quod perficit operantem non sunt media, sed finis, ad quem media ipsa ordinantur; per modum autem finis, non se habet beatitudo formalis, sed objectiva.

NOTO III. Quamvis defecto virtute spei nullum bonum a DEO sperare possumus, nisi secundum regulam a Deo praescriptam; vitamen praesentis dispositionis Divinae, omnia bona, quae a Deo sperare possumus, diriguntur ad consequendam beatitudinem objectivam, licet median-

median-

mediante formali beatitudine, tanquam *Ratione* quâ, attingendi.

ASSERO II. *Omnipotentiam Dei, sub conceptu Omnipotentia, non esse objectum formale spei.*

RATIO. Quia spes revocatur ad amorem concupiscentiæ, amor autem, semper habet pro objecto bonum; Omnipotentia autem quâ talis, non importat conceptum bonitatis, & quamvis Omnipotentia ponat rem intra objectum spei, sub formalitate possibilis, non tamen ponit objectum sub formalitate motivi sperandi: quia possum adhuc dicere, quidquid sit, quod hoc sit possibile, non est, quod alliciat voluntatem ad versandum, circa hoc possibile; ad eum modum, quo quamvis sciat pauper possibile esse, ut Rex Mogor det illi eleemolynam, nihilominus id non sperat, &c. Cæterum motivum spei latiori modo accipiendo pro medio obtinendi, hoc sensu, est Omnipotentia, motivum, idque voluisse videtur S. Thomas. Neque inde sequetur, quod præter tres virtutes Theologicas debeat assignari quarta, attendens ad Omnipotentiam: nam sufficit illam revocari ad spem Theologicam sub formalitatem jam dicta: præcipue verò, quia omnipotentia, quâ talis, non importat formalitatem boni, quâ talem, neque veri. Jam verò, quod potest esse objectum virtutum Theologicarum, debet habere formalitatem veri vel boni, quia virtutes Theologice sunt habitus voluntatis & intellectus, adeoque respicientes verum & bonum, & sicut immensitas non specificat aliquam specialem virtutem, ita nec Omnipotentia.

ASSERO III. *Deitatem prout habet rationem bonitatis, seu bonitatem primam, esse formale spei.*

RATIO. Quia actus voluntatis profectivi, habere debent pro objecto bonum, & si sint Theologici, Deitatem, cui utrique satisfiet, si ponatur pro objecto spei, bonitas prima.

ASSERO IV. *Divinitatem prout habet rationem bonitatis in essendo, ingredi, rationem formalem spei motivam.*

RATIO. Quia hæc quaeritur tale motivum, quod sit ultimum resolutorium sperandi, tale autem resolutorium prædicta bonitas. Cæterum bonitas dicta in essendo, se solâ non constituit formale spei: quia etiam veritas in essendo se solâ non formalizat fidem; præcipue cum possit esse bonitas in essendo, & nondum sperari, sed potius desiderari tantum.

ASSERO V. *Divinitatem seu rationem bonitatis, prout habet rationem auxiliantis, ingredi rationem formalem motivam fidei.*

RATIO. Quia sicut veritas prima in dicendo conjungit nobis veritatem in essendo, sic formalitas bonitatis auxiliantis, conjungit nobis bonitatem in essendo. Quæ ipsa bonitas in essendo, debet non absolute, sed sub formalitate bonæ, nobis concipi: recurrimus autem etiam ad bonitatem auxiliantem, vel hoc ipso titulo, ut

satisfiat menti S. Thomæ, qui omnipotentiam ponit pro formali spei, nomine illius fortassis intelligendo bonitatem auxiliandi. *Ad solvendas objectiones.*

NOTO I. Bonitatem primam auxiliantem dupliciter spectari posse, vel activè, vel passivè, sicut in simili dictum de revelatione: bonitas auxilians passivè accepta, sunt media, quæ nobis Deus dat ad finem, jam autem ipsa auxilians bonitas, activè accepta, est ipsemet Deus, qui est finis & ratio sperandi.

NOTO II. Causas formales per se spectare ad habitum, Cum autem bonitas auxilians, sit causa formalis: quia motiva: spectabit etiam ad habitum spei: quamvis eadem bonitas auxilians, diverso respectu, habeat etiam formalitatem efficientis.

NOTO III. Cum sanitas v. g. non sit essentialiter alligata, ut non nisi ab hoc principio fiat, ideo principium illud, pro motivo non habet. Jam autem alligata est spes Theologica, non nisi ad bonitatem primam auxiliantem. Potest etiam dici, quod sicut spes respicit bonitatem auxiliantem, ita & timor justitiæ Divinæ, & non solum mala, quæ illa irrogat, non erit tamen timor Dei virtus Theologica. Nomine enim Virtutum Theologicarum veniunt habitus, qui primò per se sunt principium actuum prosecutionis, ad quos revocentur actus fugæ. Timor autem primò per se respicit non actus prosecutionis, sed actus fugæ. Si quis tamen diceret id non spectare ad rationem virtutis Theologicæ, eo se tueretur, quod cum objectum timoris sit malum impendens, justitia autem DEI non sit malum impendens, imò & quid commune, etiam coronæ justitiæ, reddendæ à justo Judice, ideo justitia Divina non potest esse objectum timoris: nihil autem simile obest spei, quominus respiciat bonitatem auxiliantem nobis. Cumque spes sit virtus Theologica, respicere debet eam.

NOTO IV. Id quod ad aliud attribuitur, licet non sit habens rationem objecti ultimi, potest habere rationem objecti immediati. Unde etiam in presenti dicere poteris, quare speras? quia Deus est bonitas auxilians. Unde convinceris quod sit talis: quia est bonitas per essentiam, bona nobis.

NOTO V. Quod possumus ad nos referre Deum improprie, hoc est, tanquam Subiectum, cui Deus est bonus, proficisceturque ille amor concupiscentiæ ex amore proprio nostri, non utcunque, sed prout elevati sumus, ad statum Beatitudinis æternæ, quamvis amor etiam naturalis, possit esse occasio illius, æquè ac cum Mater amans filium naturali amore, operatur illi bonum supernaturale. *Ex his*

COLLIGES. Objectum spei constatur ex materiali, & formali, esse bonum nobis assequibile propter bonitatem primam, inquantum habet

formalitatē auxiliantis, & bonæ in essendo etiam nobis.

Se III.

Quenam sit Ratio sub qua Spei, ad quid extendatur, & ejus illa potentia Virtus.

Quoad Primum

ASSERO I. Ratio sub qua objecti spei, si spectetur penes objectum materiale, quod speratur, est futuritio.

RATIO, quia etiam id indicat S. Paulus, qui eum, qui jam habet, docet non habere, quod speret, aliàs etiam S. Augustinus spem appellat desiderium, idemque habet communis apprehensio. Jam autem ratio sub qua objecti spei, si spectetur penes objectum formale, est arduitas. Ratio, quia nihil aliud commodius assignari potest; nec habebitur aliud per quod distinguatur à desiderio. Et sicut fides sufficienter distinguitur à visione, per suum formale, tali conditione circumstantionatum, nempe veritate primam obscurè attestantem; ita & spes distinguitur à desiderio, per suum formale, tali ratione sub qua circumstantionatum, nam materiales objecti conditiones, non solent specificare objecta & habitus.

ASSERO II. In quo consistat ratio arduitatis. Et imprimis non consistit, quod bonum expectetur ab alio.

RATIO. Quia aliàs etiam DEUS deberet dici sperare: expectat enim, ut creatura convertatur. Deinde non consistit arduitas, quod bonum habeatur auxilio illius: nam licet id sit verum de spe Theologica, non tamen de spe in communi: speramus enim aliqua nos facturos, quæ facere possumus. Scabit itaque potius arduitas in hoc, quod difficulter ipsum speratum obtineri possit, & in concreto spei Theologicae in hoc erit arduitas, in quantum illa habitus preceptivus est, quod ad bonum possidendum ita excedens, multa nos impendant & retardent.

ASSERO III. Arduitatem non esse rationem formalem propter quam spei: quia arduitas potius retardat voluntatem. Vel si mavis dicere, creatum, non potest ipsum illud, esse formalisativum virtutis Theologicae.

Quoad Secundum

ASSERO. Spem non extendi ad sperandum bona alteri, in quantum non concipitur per modum unius aliquomodo cum sperante, secus si ita concipitur.

RATIO prioris partis: quia spes involvit amorem concupiscentiæ, respicit enim bonum sperantis, sed nisi eum, cui alicui speramus concipimus.

peremus per modum unius alicujus nobiscum, ille actus non respiceret bonum speranti. Ergo nec esset actus spei. Posterioris autem partis Ratio: quia nihil tunc deesset ad illum actum: hocque voluit S. Paulus, *Spes*, inquit, *nostra sit firma pro vobis.*

Quoad Tertium

ASSERO I. Spem esse virtutem voluntatis.

RATIO. Quia pro objecto habet bonum, quod quæ tale respicit voluntas. Et sicut quamvis aliqui actus intellectus præluceant desiderio, non sequitur desiderium esse actum intellectus: ita quamvis spei præluceant aliqui actus intellectus, adhuc illa erit virtus voluntatis.

ASSERO II. Ante spem prærequiri speciales actus intellectus:

RATIO. Quia si non darentur peculiaria præcognita, spes non haberet motivum particulare, adeoque non esset virtus à reliquis distincta.

ASSERO III. Hæc præcognita, Primo, non sunt solum judicium, conditionatum, quod scilicet non damnaretur, si non peccaret.

RATIO. Quia illud judicium, quonititur spes, debet esse per se conjunctum spei, prædictum autem judicium, potest conjungi etiam cum desperatione. Secundo. Judicium illud non debet esse tale, quo aliquis simpliciter judicet se fore infallibiliter salvum: Quia Tridentinum dicit tale judicium esse erroneum, nisi accedat specialis revelatio. Judicium itaque illud in hoc stat: quod attentà misericordiâ Dei & voluntate salvandi omnes, assentiatur in istis circumstantiis judicio pratico, se actu salvandum, vel se posse actu salvari. Dixi judicio pratico, quo judicet se non modo posse fieri salvum, sed posse fieri actu salvum: quia judicium prius, potest stare cum hoc, ut aliquis desperet, credat tamen se posse salvari, sed non sperans se salvandum. Ceterum hoc judicium non excludit timorem: quia nescit, an sit DEO cooperaturus. Ex his ulterius.

COLLIGETUR. Quomodo præciti nescientes se esse præcitos possint adhuc habere spem? Er quidem cui præluceat fides, quæ est assensus nonnisi verus; non est autem verum, quod præcitus sit salvandus; respicit ergo ille actus fidelis non hanc universalem, Omnes prædestinati salvabuntur; quia in illa non continetur salus præciti. Sed respicit hanc, Omnes homines vult vos fieri, & attentà misericordiâ nemo est, qui non possit actu salvari; in quibus Majoribus continetur salus præciti; hinc si revelaret alicui Deus illum damnandum, non revelaret, quod in illa universali particularis illa salus non continetur, sed revelaret non nisi, quod non continetur salus in illa universali; Omnis cooperans gratiæ Divinæ salvabitur. Et sicut prædestinati cum sperant se cooperaturos gratiæ, non sperant Pelagiano.

no more, sed attentâ misericordiâ Dei, ita etiam præcursus, quantum est ex vi misericordiæ, potest actu habere finalem perseverantiam, adeoque poterit etiam iudicium habere præluens ætui spei.

Ad solvendas Objectiones.

Noto I. Quando Clemens Alex. appellat spem opinionem futuri, Opinio autem ad intellectum pertinet, id solum dicit per quandam analogiam: quia sicut opinioni, ita spei conjungitur formido.

Noto II. Spem consistere in aliquo desiderio, sed non utrunque, sed prout conjuncto simul cum erectione animi, quæ ipsa erectio ex parte objecti importat futurationem, & ex parte Rationis sub qua, arduitatem requirit. In omni autem lingua desiderium, cum tali erectione animi, est spes: consequenter, non ubicunque homo potest uti vocabulo desiderii, potest uti vocabulo spei, licet ubicunque homo uti potest vocabulo desiderii cum erectione animi, possit etiam uti vocabulo.

Noto III. Opinionem consequentem beatitudinis, sub conceptu opinionis, non posse esse virtutem per se infusam: sumendo tamen opinionem sub sensu supra adlato, poterit esse spes, habitus infusus, non revocabilis fidem, cum spem numerent PP. tanquam quid condistinctum à fide.

S. IV.

Quenam sint Subjecta capacia Spei?

ASSERO I. In damnatis non datur habitus spei, supple supernaturalis, quicquid sit, quod aliquid naturaliter sperent.

RATIO colligatur ex dictis de subjecto fidei. Confirmatur; quia in damnatis non datur fides supernaturalis. Ergo nec dabitur spes supernaturalis. Nam fidem appellat Tridentinum principium & radicem; & quamvis fides possit dari sine spe; non e contra: id inde est; quia ablato habitu; adhuc habebat omnia requisita sua actus fidei. Jam autem spes sine fide esse non potest, tanquam sine præcognito proportionato; hinc si in damnatis non datur fides supernaturalis, nec dabitur spes supernaturalis.

ASSERO II. In animabus purgatorii dari spem.

RATIO colligatur ex dictis de fide. Et certe. Si quis status refrigerio spei indiget certe illarum, & quamvis sint in termino merendi, non sunt tamen in termino conjunctionis cum ultimo fine, adeoque eam sperare possunt.

ASSERO III. Anima beata non habet spem.

RATIO. Quia principale objectum habitus spei, in quantum est habitus præceptivus, est beatitudo; quæ sperari non potest, cum jam

possideatur: dari tamen posset in illis spes diversæ rationis, quæ sperent resurrectionem corporum, viatoribus beatitudinem, & similia. Quod attinet ad continuationem beatitudinis posset dici illam sperari, licet non actu spei, qui sit ejusdem rationis cum nostrate, deficeret enim in principali actu; nempe appetentia beatitudinis nondum possessa; posset tamen, aliquis tueri, quod continuationem beatitudinis non sperent proprie: quia in continuatione beatitudinis duo spectari possunt; primum intrinsecum, in quo proprie stat beatitudo, & hoc est ipsa beatitudo objectiva possessa. Secundo spectari potest aliquid extrinsecum, nempe imaginaria duratio temporis. Imaginaria inquam: quia vera duratio extrinseca, stat motu cælorum, qui tunc non erit. Quando ergo beatus sperat continuationem suæ beatitudinis, non sperat continuationem illius, secundum esse intrinsecum, idque adhuc mensuratum ipsa eternitate, in qua quæ tali, nihil prius, nihil posterius est, supponitur autem sic sumptam beatitudinem possidere; sed sperat secundum extrinsecum. Et quia illa duratio extrinseca non est beatitudo, sperando illam, non sperat proprie beatitudinem.

S. V.

Quid sentiendum de Opposita Spei Desperatione?

ASSERO I. Desperationem non rectè defini, quod sit motus voluntatis positivè recedentis à Beatitudine æterna consequenda, quam judices creatura intellectualis, vel tanquam impossibilem propter difficultates, vel tanquam non obtinendam.

RATIO. Quia definitio non debet dari, quantum potest fieri per divisionem; præcipue adhuc, si sit manca, prædicta autem definitio non videretur competere omni speciei, & formalitati desperationis; quod ipsum probatur, quia potest recedi à beatitudine objectiva actu positivo, quo dicatur: Nolo affectu ad beatitudinem accedere, utpote impossibilem. Secundo affectu ab illa recedere, utpote impossibili. Uterque hic actus est species desperationis, & tamen priori, non competet prædicta definitio. Nam non est motus voluntatis positivè recedentis, sed potius positivè nolentis accedere. Jam autem sicut in moralibus condistinctum est non accedere, & recedere, unde dantur neutralistæ: sic etiam in motibus intentionalibus, positivè nolle accedere, condistinctum debet, à positivè volo recedere. Ut autem proponatur alia definitio, supponendum est hic non agi de desperatione, in quantum importat iudicium: quia non aliud est, quam iudicium

non consequenda beatitudinis, quod præsuppositum, sequitur desperatio. Sed agendum hic de illa, prout ita sequente, & prout dicit actum voluntatis. *Hinc*

ASSERO II. *Desperationem pro actu voluntatis acceptam, esse positivam non volitionem beatitudinis æternæ, prout non consequenda.* Dixi positivam non volitionem, quia qui suspenderet actum, ceteroqui aliquo alio occupatus, & non urgente necessitate, non desperat. Utor autem potius termino, non volitio, quam nolitio, quia non volitio, est quid commune ad actum positivum nolitionis, & ad actum, quo positive non volo sperare. Dixi prout non consequenda: quia, sicut in definitione spei ponitur motivum, & objectum iudicii prælucentis, ita debet poni in presenti.

ASSERO III. *Possit Deus præscito revelare suam damnationem;* id docuit S. Thomas Suar. Vaseq. Valent. Amicus. d. 23. S. 2. contra Bonav. Argent. & alios.

RATIO. Quia id non implicat contradictionem. Deinde, omne revelabile potest Deus revelare, ut constat ex terminis; illa autem damnatio, est revelabilis: quia illud omne est revelabile, quod Deus cognoscit ita se habere, & non fecit decretum de hoc non revelando. Cognoscit autem Deus præscitum esse damnandum, & non scitur de decreto in oppositum. Licet præsumendum sit de Divina clementia, quod id nunquam sit acturus. Quamvis autem omnis viator obligetur ad sperandum, per se loquendo, ex accidenti tamen potest non obligari, ut non obligaretur hic, cui revelaretur sua damnatio. Transeat, quod non posset reddi causa à nobis, cur id DEUS revelaret, sufficit, quod illam Deus in se reperiret, & altis suis iudiciis, possetque Deus ad ostendendum, quam illi displicuerint peccata illius præsciti, hoc

ipsum revelare. Neque tunc esset causa desperationis; licet illa revelatio esset occasio desperandi, id autem non repugnat Dei bonitati: nam multi ex forti apprehensione, v.g. casus extraordinarii, quo Deus invita punivit aliquem peccatorem, sumunt occasionem desperandi, & tamen impedire hoc non spectat ad bonitatem Dei, & sicut bonitas Dei non impedit, ne prævisâ impoenitentia finali formet Deus decretum de damnando, sic nec impedit, ne prædictam revelationem ponat.

ASSERO IV. *Etiam ei, qui est actu in statu justitiæ, est possibile, revelari suam damnationem prævisam.*

RATIO. Quia id non implicat, quid quid in oppositum senserit Kon. d. 20. n. 93. Implicat quidem fieri talem revelationem ante prævisâ illius demerita, sed non implicat post prævisâ. Nec reddetur illi impossibilis sua salus: quia adhuc illi offerentur auxilia sufficientia; possetque DEUS nullam speciem relinquere rememorativam illius revelationis; formando illam, ut dixi, post prævisâ demerita, atque voluntate, signo, & suppositione consequenti. Nec attendi debet, quod inde sequi possint peccata gravia, quia illa revelatio non fuit occasionaliter se haberet. Imò si potest, peccatori id revelari, cur non & iusto, qui illa revelatione alliceretur, ad præsentem quem habet statum, exitus tuendum.

ASSERO V. *Neminem sine motivis evidentissimis credibilitatis debere inducere in animum, quod id sit sibi revelatum.*

RATIO. Quia ex una parte non congruit id Divina bonitati; ex altera, nisi adsint motiva credibilitatis evidentiæ, nemo tenetur credere, præcindeturque per hoc ansa multarum inanum apprehensionum.

Reliqua petantur ex materiis practicis.



TRACTATUS III.

ET

DISPUTATIO VII.

De Charitate.

§. I.

Quodnam sit Objectum Charitatis?

ASSERO I. *Objectum materiale charitatis, quæ charitas est, non est solus Deus.*

RATIO. Tum quia aliarum virtutum Theologicarum objectum materiale, non est solus DEUS. Tum quia non solus Deus formali charitatis informatur. Tum quia rationes, quæ probant fidem non habere pro materiali solum Deum,